

Q. K. 355, 28.

X. D. O. M. A. (X19044201)

II s  
270

DISSERTATIO HISTORICO-ZOOLOGICA

# DE ALCE,

XXIII.

Quam  
IN ILLUSTRIS SALANA  
PRÆSIDIS

M. ULDARICO HEINSIO, Curono,  
Ampliss. Facult. Philos. Adjuncto,

*Eruditorum publicæ censuræ offert*

PANTALEON LENTNERUS, Olav. Silesius,

A. P. S. M. DC. LXXXI. d. Octobr.

ICON ALCIS ex de-  
lineatione Ulyss. Al-  
drovandi.



Cornu Fera quæ sibi servat  
Excell. Dn. D. F. ASCHIIUS.

JENÆ, imprimebat Joh. Jacob. Bauhofer.



D. O. M. A.  
DISSERTATIO HISTORICO-ZOOLOGICA  
DE ALCE

Will

IN AUSTRIAM  
PRESIDE  
M. GEDRICO HEINSIO, CHORO,  
Aquil. Facult. Philol. Adjuncto,  
F. A. G. P. S. M. D. C. LXXXI. d. Octobr.  
P. A. T. A. L. E. O. N. L. E. N. T. I. N. E. R. U. S. O. l. v. S. i. l. e. s. i. a. s.





O JESU adsis Spiritu Tuo Sancto!

## PRÆFATIO.



Quum aliquo abhinc temporis elapso spatio cogitarem de materiâ E. L. Tibi rariore offerendâ, en! incidimus forte fortunâ in novellas, quæ dum varia ex variis locis referebant nova, inter alia quoque Regiomonto Borufforum apportabant visu potiùs, (iis, qui fuerant *αὐτόπλοι*) quàm (nobis) auditu mira. Mense enim Julio anni currentis, animal quoddam Sylvestre, (præter morem hujusmodi ferarum, quippe quæ conspectum hominum admodum extimescunt, prout experienciâ edocemur) Alcen, intrâsse suburbia laudatæ Civitatis perhibebant, sæpiusque per literas publicas dicta reiterabant. Quod portentum non parum in sui admirationem Spectatores duxit, cum insolitum id, ipsisque antehâc vix visum fuerit. Unde quoque nonnulli rerum futurarum non minùs, quàm præteritarum, scrutatores anxii, ibi locorum infausta minùsque fortunata incolis ominati, atque simili exemplo fortunæ pristinæ jam ante quin-

que lustra irruptione hostili insignis inductos retulerunt : Tum enim simile quid accidisse ibidem, Alcemq; Regiomontanos visitasse attestantur. Nos, ut omini isti subscribamus, à nobis impetrare vix possumus, quin potius aliã de causã animal hocce (fugatum forsitan) sibi per Civitatem aditum parasse suspicamur : Nec non, vanum ut sit augurium, incolis optimis apprecamur. Quicquid tandem de ingressu feræ hujus sit, plura namq; de eo nunc recitare nec juvat, nec attinet, animum hãc occasione induximus (quò haberemus & in hoc studiorum genere Historico-Zoologico vires nostras periclitari) aliqua de ipso animali bruto, nostris hinc locis parum cognito, in medium afferre, ac Dissertatione brevi in naturam Alcis penitus inquirere; idque negotii tantò lubentius in nos suscepimus, quantò minus de eo memoriæ scriptisque (præsertim, quæ & sibi invicem & veritati consonent) traditum reperimus. Atque sic habes E. L. unde nobis subministrata sit ansa hoc de Alce adornandi schediasma. Nunc operi manum admoveamus!

§. I.

**S**i vera sunt, quæ habet Plato in Cratylolo ὁς αὖ τὰ ὀνόματα εἰδῆ, εἴσεται ἢ τὰ πρᾶγματα, h. e. qui nomina novit, res suo nominibus latentes haut ignorabit; non certè operam ludemus, si tractationi nostræ aliqua de notatione nominis Alcis præmiserimus. Imprimis  
 cum

cum idem & exigat rei necessitas & svadeat accu-  
 rator procedendi methodus; illam patefcere opi-  
 namur pensitanti, quod nec res sine nomine, (sunt  
 enim nomina notæ rerum, dicente Cicerone in  
 Topicis) licet nomen sine re haut incommode per-  
 spici possit. Unde vel nostro iudicio rectissime Plu-  
 tarchus: "Αεισα λέγεται πρὸς τοῖς φιλοσόφοις  
 τὸ τὰς μὴ μαθητάνοντας ὁρῶν ἀκρίβειν ὀνομάτων,  
 κακῶς χρῆσθαι καὶ τοῖς πράγμασιν. *Qui non didi-  
 cit rectè uti nominibus, malè quoque is rebus as-  
 svescet.* In Ifide & Osir. Hanc, genuinam scil. res tra-  
 ctandi methodum similia nobis imperare constat,  
 si in animum reduxerimus ex Lib. 1. Physic. T. 2.  
 quod à naturâ nobis insita sit via, ἐν τῇ γνωρι-  
 μωτέρων ἡμῶν καὶ σαφέστερων, Ἰπὶ τὰ σαφέστερα τῇ  
 φύσει καὶ γνωριμώτερα. Quæ autem Philosopho τῇ ὑ-  
 μῶν γνωριμωτέρων veniant nomine, cernere licet ex  
 sequentibus, ubi addit: ἔστι δὲ ὑμῶν τὰ πρῶτον δῆλα  
 καὶ σαφῆ τὰ συγκεχυμένα μᾶλλον. At verò no-  
 mina sunt ipsi συγκεχυμένα πῖνα, cum nomina ad  
 definitionem eo se habeant modo quo se habet to-  
 tum ad partes, vid. T. 5. L. cit.

§. 2. Nos proinde non tam mori hætenus re-  
 cepto, quàm debitæ rationi morem gerentes nota-  
 mus, Latinis feram nostram vocari *Alcem* vel *Al-  
 cen*. Ultra terminatio, an Alces, is, an verò Alce, es,  
 hîc præferenda sit, non satis liquet. Pro hæc facit  
 usus loquendi apud Scriptores post Plinium ferè

plurimos obsoletus; Illam tuentur ex neotericis aliqui, persuasi à suis partibus stare numerum probatorum Autorum; Ita enim juxta meliores libros Latinis legi contendit Gerh. Joh. Vossius in Etymologico Lingv. Lat. ad vocem Alces. Quæ vox tamen, quocunque dixeris modo, non videtur sedem in Latinâ obtinere lingvâ; idque inde probabile evadit, quòd prisceis Romanis hoc animal fuerit ignotum, siquidem non multum ante tempora Gordiani, (Seculo p. N. C. III.) sub quo decem alces depictas in domo rostratâ Cn. Pompeji refert Julius Capitolinus, hoc nomen animalis fortè cognitum suspicamur. Post decem dein lustra ipsas etiam alces vivas Divi Aureliano deducto in Capitolium præcessisse, autor est Flavius Vopiscus Syracufius. Ad Græcum fontem Alcem deduci posse non credimus absolum. Ἀλκή Græcis sonat *fortitudinem, auxilium, remedium*, conf. Homer. Iliad. T. Odyss. X. Hesiodus, Plutarchus. Idq; nomen feræ nostræ apprimè convenire nulli dubitamus; est enim Alces animal robustum satis, procerum, nervis atque membris solidioribus; unde & fortitudinem eidem inesse non obscurè colligimus. Accedit hûc testimonium scriptorum recentiorum: Olaus Magnus, quondam Episcopus Upsaliensis, Lib. XVIII. Epitom. Hist. c. II. p. m. 445. tantarum Alcen memorat, virium, ut lupum, cum quo sæpiùs rem habet, unico ictu prostertere atque interimere queat; quin&idem, eodem teste

ste haut alibi locorum, in quibus Alces inveniri à  
Scriptoribus creduntur, vocem Latinam frequen-  
tari constat, ut infra dicemus. Ergo aut eam gen-  
tem, à quâ nomen istud ortum sit, nobis afferat  
Vossius, aut opinionem suam haut indubiam inge-  
nuè fateatur necesse est; nisi velis dicere, vocem  
*Alces* ex dialecto lingvæ alicujus exoticæ corru-  
ptam esse.

§. 4. Apud Græcos quale extet nomen animali  
paulò ante subinnuimus. Audit scilicet illis ἀλκή  
vel accentu in penultimam retracto ἄλκη. Poste-  
rior ratio magis arridet Conrado Gesnero Lib. I.  
de Quadrup. Cui succenturiatur Frid. Sylburgius  
in not. ad Lib. IX. descript. Græc. Pausaniæ, cau-  
samque affert, distinctionis necessitatem, ut isto ac-  
centûs discrimine distingvatur ab ἀλκή s. *robur*. Ve-  
rum enim verò, cùm hæc res meræ sit autoritatis,  
indeque à testimonio Græcorum Scriptorum tan-  
tùm pendeat, non apparet, an tutò distinctionis  
ratio præferri debeat usui loquendi, quin potius  
reperimus in Pausaniâ, ipso Græco, promiscuè ad-  
hibitum esse mox Oxytonon, mox Paroxytonon.  
Cùm enim in Eliacis prior. s. Lib. V. descript. Græc.  
dixerat: ἀλκή μὲν γὰρ καὶ κέρατα ἐπὶ ταῖς ὀφει-  
σιν ἔχουσιν οἱ ἄρρενες. Postea in Bæoticis, scil. Lib.  
IX. sic effert: ἐστὶ δὲ ἀλκή καλέμενον θηρίον, εἶδος  
μὲν ἐλάφου καὶ καμήλης μελαξύ. Ut adeò liberum  
cuique putemus, alterutro sine metu efferre sono;

B

stat

stat enim ab utroque Pausaniæ autoritas. Alios in numerum testium advocare non licet, nam solus Pausanias, quantum meminimus ex veteribus Græcis de Alce quædam posteritati reliquit.

§. 5. Nunc etiam dispiciamus, quamnam ab Hebræis Alce sortita sit appellationem. Sunt, qui prorsus nullum in lingvâ sanctâ eidem extare nomen affirmant. *Nullum hujus animalis*, sunt verba Gesneri, *nomen alia* (præter Græcos, Latinos atque Germanos, quos proximè recitaverat) *gentes habent, cum peregrinum omnibus sit præterquam Scandinavia*. Sed potior eorum est sententia, qui cum multis aliis gentibus, quod quidem hætenus ignorari non potuit experientiâ Magistrâ, etiam Judæos, si non animalis, certè vel nominis habuisse notitiam venditant. Nec videtur procedere argumentum: Quibuscunque animal est peregrinum, illos & nomen necessariò fugit. Instantiæ loco non paucorum è Sacro Codice texti posset catalogus, quæ vel sola Gens Hebræa conspexerit, nihilominus de nomine & Germanis & Latinis satis constet. Et quid multis? præsto est locus Deuter. XIV. v. 4, 5. זאת הבכמה אשר תאכלו שור שה. כשבים ושה עזים ואיל וצבי וחמור ואקו ורשון ותאו וזמר: Hic per ultimam vocem זמר Alcem notari, ut asseramus, nihil prohibet. Est enim & hoc animal eorum numero, quæ esus liciti fuerunt, cum ungulas scissas habeat atque insuper ruminet. Diffite-  
ri



ri quidem non possumus, maxima hîc in interpre-  
tibus adverti dissidia, dum alii, iique pauci Al-  
cem, plures rupicapram, plurimi camelopardalin  
verterunt. Neque res tantæ facilitatis est in voci-  
bus ἀπαξ λεγομένης s. quæ semel in Codice Sa-  
cro integro, qualis est & זמר, occurrunt, ut quid  
certi asseramus. Interim nobis cum paucioribus il-  
lis, qui reddunt *Alcem* modò facere, inque eandem  
descendere sententiam placet.

§. 5. Quod ut feliciùs contingat, expendemus  
summatim rationes vel *camelopardali* vel *rupi-  
caprae* statuminandæ inservientes, ut dein hisce sub-  
motis tertia & nostra sententia faciliùs suffulciri  
queat. Pro camelopardali facit præsertim LXX-  
V. Viralis versio, unde procul dubio hauserunt alii,  
qui eandem feram hoc loco adducunt. Ne autem  
frustra hæc dixisse videantur, rationes, quibus non  
tàm suam tueantur camelopardalin, quàm in no-  
stram *Alcem* vel aliorum rupicapram irruant, affe-  
runt. Ex omnibus aliis, quos inspeximus, causam  
pro se agit Conradus Gesnerus Lib. I. de Quadru-  
ped. p. 1. *Proinde*, inquit, (quia animal est pere-  
grinum) *non assentior Judæis illis, qui Deuteron.  
cap. XIV. זמר Zamer*, (non Zamer, sed Zemer  
dicendum fuisset, nam est vox extra pausam) *alcen  
interpretantur: quanquam alii pro eâdem rupi-  
capram: alii Camelopardalin reddunt: mihi ad  
postremam animus magis inclinât.* Idem pag. 160.

*Camelopardalin Sacra litera vocant זמר Deut. XIV. Ubi Chaldaica translatio habet ריבא Deba, Arabica זרנפה Saraphab, Persica זרפה Seraphab, Septuaginta καμηλοπαρδαλιω. Hieronymus Camelopardum. David Kimchi præterea testatur R. Jonam scribere Zamer animal Arabicè vocari Sarapha. In tanto igitur veterum interpretum consensu nihil movebunt nos recentiores, siue Judæi (qui meritò magnâ rerum omnium insitiâ laborant) siue alii, qui rupicapram aut alcen Ebraicam vocem Zamer exponunt. Alces enim Syriae peregrinae sunt; Rupicapra verò aliud Ebraicum nomen habent. Duo sunt, quæ potissimum urget Gesnerus: vox זמר notat Camelopardalin, partim ob autoritatem, tantum enim hîc affert interpretum consensum! partim, ut videtur, ob necessitatem; siquidem זמר non est Alce, nec est rupicapra, alia ergò præter Camelopardalin significatio non superest.*

§. 6. At vix has rationes Achillæi dixeris roboris. Ad autoritatem adductam respondetur, (1) malè hîc unicè spectari quorundam Scriptorum consensum: huic enim si standum esset soli fulcro, neque nos pro Alce, nec alii pro rupicapra destituerentur autoritate. Atque tantò firmissimè à Judæis, quos præter meritum omnimodæ arguit insitiæ, testimonium peti posse nobis persuademus, quantò linguæ suæ sunt peritiores ipsis Chaldæis,

Ara-

Arabibus, Persis &c. Ecquis, quæso, crederet Arabem aut Persam promiscuè vim vocum Ebræarum Judæo penitiùs nosse? (2) Committitur fallacia  $\tau\delta\ \epsilon\upsilon\ \delta\epsilon\chi\eta\tilde{\iota}$ . Unde probat Gesnerus Chaldæorum  $\text{דִּיבְחָ}$  (sed & falsum est pro  $\text{זִמְר}$  Hebræorum legi in Chaldaicâ communiori translatione  $\text{דִּיבְחָ}$  *Debha*, nam reperitur ibi  $\text{דִּיבְחָ}$  *Ditza*, vid. Bibl. Complutens. nec non Polyglot. Anglicana) aut Arabum  $\text{زرافة}$  Camelopardalin & non Alcen significare? Crediderim ego Hebræorum sensum ex Arabum Commentariis demonstrare velle, esse obscurū ex æquè, imò magis obscuro probare. Deinde ut numerus testium excrescat, citatur R. Jonas  $\text{זִמְר}$  Arabicè reddens  $\text{זִרְאפָה}$ . At quid hoc pro Camelopardali? esto reditio ista veritati consona; Ergone sic procedit argumentatio: Quod Hebræi dicunt  $\text{זִמְר}$  id efferunt Arabes  $\text{זִרְאפָה}$  E.  $\text{זִמְר}$  est Camelopardalis;  $\alpha\text{-}\tau\omicron\pi\omicron\upsilon!$

§. 7. Nec difficile nobis erit quædam ad reliqua Gesnero reponere. Dicit: *Zamer non notat Alcem, quia Alces Syriae peregrinae sunt.* Resp. ( $\alpha$ ) Nondum satis constat, utrū penitus hæc fera, ad minimum nomine Judæis fuerit incognita. Nec probationis loco sufficiunt, quæ dubitanter de se pronunciat Gesnerus: *Cum peregrinum sit omnibus præterquam Scandinavia, quod sciam.* Verūm multis regionibus aliis innotuisse Alcen imò & in iisdem nasci apertè probabimus infra.

Si igitur in historiâ aliarum gentium memoriâ  
 lapsus, cur idem in Hebræâ illi accidisse dubitabi-  
 mus? (β) Ponamus interim animal ipsum Judæis  
 fuisse ignotum; neque sic tutò inferri licebit  $\alpha$   
 alcem significare neutiquam posse. Videtur enim  
 frustra supponi, quod Deus Optimus M. ea usui  
 Hebræorum saltem concesserit, quæ Syria prode-  
 ret sola aut nutriret animalia. Quid si aliunde  
 in Syriam advectæ fuissent Alces? (γ) Denique si  
 vis argumenti quicquam obtinet, pari facilitate  
 contra Gesnerum invertimus argumentum, de-  
 monstraturi etiam Camelopardalim fuisse ani-  
 mal Palæstinæ peregrinum; nec multum in evin-  
 cendâ assertione nostrâ laborabimus: En adest  
 Gesnerus ipse nobis  $\delta\mu\acute{o}\psi\eta\phi\omicron\varsigma$  l. c. dum subjun-  
 git: *Non obstat, quod Camelopardalin nus-*  
*quam in cibum venisse legerimus: raritas & pe-*  
*regrinitas facit, ut cibo eam nemo experiatur.*  
 Præterea è veteribus liquet, Camelopardales si-  
 bi locum natalem vindicare in oris remotissimis,  
 ad Austri cornu s.  $\kappa\tau\epsilon$  τὰς ἰσημερίας τῆς ἡῶς, ad  
 æquinoctium orientale, qualia loca quondam in-  
 habitata ac inaccessa reputârunt, ceu ex Strabo-  
 ne, Philostorgio, Nicephoro, Callisto & aliis con-  
 tendit vir celeberrimus Sam. Bochartus parte prio-  
 ri Lib. III. cap. XXI. Hierozoici. Quod si itaque  
 & Camelopardales peregrinæ Syris fuere, non  
 videmus causam, cur ad has magis quàm ad Alces  
 vel

vel rupicapras animus Gesneri inclinēt. Tandem  
iis, quæ per זמר non esse rupicapras intelligen-  
das, exinde svadent, quòd aliud præsto istis in  
Scripturâ S. sit nomen, ut satisfiat, nostrâ non re-  
fert. Interim paratam sibi potuisset prævidere Au-  
tor responsionem; siquidem nexus prorsus est in-  
firmus: *Rupicapra aliud Ebraicum nomen ha-*  
*bent* (puta ex Lib. III. Reg. c. 14. יהמיר conf. p. 320.)  
*E. Zemer rupicapras non sonat*: Ac si una ea-  
demque res non pluribus uno posset efferri nomi-  
ne. Idque in capris hisce sylvestribus locum po-  
tissimùm invenit, cùm Cl. Joh. Buxtorffio in Lex.  
trifariam admittant appellationem, scil. זמר Deuter.  
XIV. 8. נקר ibidem & יעלה Prov. V, 19. I. Sam.  
XXIV, 3. Job. XXXIX, 4. Instabit fortè quis-  
piam, absolum tamen fore, quod si in uno co-  
demque versiculo Textûs duas voces idem signi-  
ficent. Resp. neque tùm יהמיר reddunt per rupica-  
pram, sed vel damam vel bubalum. Vid. Joh. Bux-  
torffius & Sebast. Münsterus.

§. 8. Utut hâc ratione non sine ratione du-  
bio moto ultimo succurratur, non tamen sic rem  
omnem ad tuendam rupicapram perfici putamus.  
Nos igitur, postquàm expendimus momenta Ges-  
neriana pro Camelopardali adducta, reliquum  
est, ut attendamus his, qui lectionem rupicaprae  
præferendam censent. Hi quidem minus habent  
(si à solâ autoritate abieris, ad quam tamen in  
prom-

promptu nobis est responsio ) quo nos stringant. Unicus adest Samuel Bochartus, Anglus, vir verè magnus, qui aliquod loco proximè citato pro rupicaprà promit fulcrum. Verba ejus sunt: *Hebraea vox רמי aliud (quàm Camelopardalin) significari suspicor, nempè aliquod animal capreis aut cervis congener, ut aliis illis animalium vocabulis, quæ in eodem versu cap. 4. Deuter. habentur. Sed illud animal quale sit, præcisè definire facile non est. Meas tamen conjecturas doctorum judicio non illibenter subjiciam. Arabicè Ramaza & inversis literis Zamara salire est, idque non saltu quovis, sed saltu capreae. Omnino igitur רמי à verbo Zamara, deductum, est Arabica capreae genus maxime ἀλπικόν & πηδητικόν, ibex puta vel rupicapra. Sed rupicapra potius, quia in eodem versu רמי est ibex, ut suo loco dicitur. Hactenus Bochartus non minùs dubitanter, quàm modestè! Indeque hanc suam interpretationem non cujusdam verioris sententiæ, sed conjecturæ nomine venire mavult. Unde nobis persuasissimum habemus, Virum incomparabilem, si in vivis superesset, minime laturum ægrè, si nos longè probabiliori conjecturâ, ferè dixerim ratione, inducti pro rupicaprà Alcem substituamus. Nam (1) & Alces est aliquod animal capreis aut cervis congener, ut post dicemus. (2) Adest insuper ratio Etymologica,*  
non

non è peregrinâ, sed nativâ lingvâ sine ullâ & in-  
versione & contorsione literarum; siquidem אָמַר  
cum Edmundo Castello Lingv. Arab. Cantabrig.  
P.P. in Lex. heptaglotto deducimus à rad. Hebr.  
אָמַר quod est *amputavit, præsedit*, & sic optimè  
pro Alce facit ista originatio, quam inde אָמַר nun-  
cupatam auguramur, quòd cornua gerat sarment-  
tosa, adeoque amputanda. Vites enim quoties  
sarmentis sylvescunt, amputationi meritò cedere  
solent.

§. 9. Eandem vocis Hebr. אָמַר (pro Alce) signi-  
ficationem suffulcit quoque versio Bibliorum B.  
Lutheri Germanica: Ita namque habet Deuter. l. c.  
Dies ist aber das Thier/ das ihr essen solt / Och-  
sen/ Schaf/ Ziegen/ Hirsch/ Rehe/ Büffel/ Stein-  
bock/ Urochß und ELEN. Suffragatur eidem Joh.  
Dietenbergeri Versio vetus Germanica: Dies ist  
das Viehe das ihr essen solt: Ochsen/ Schaf/  
Gemsen/ Hirsch/ Rehe/ Steinbock/ Uer = Ochsen/  
Einhorn und ELEN. Quibus duobus se jungit  
socium Sebast. Münsterus & lingvæ & historiæ  
Hebrææ peritissimus, eaque propter multam ipsi  
in hoc genere habemus fidem. Sic autem in Bi-  
bliis suis verba Mosis reddit: *Hoc est pecus, quod  
comedetis: bovem, pecus ovium & pecus capra-  
rum, Cervum, capream & bubalum: Capri-  
cornum, Unicornu, bovem sylvestrem & ALCEN.*  
Perstat itaque Alcen Hebræis אָמַר rectè dici. Pau-

cislimis jam appellationem gentium aliarum percurramus.

§. 10. Germani nostri nomen Alci indiderunt à fortunâ adversâ: *Elend* vel *Ellend*/quosdam cum aspiratione efferre *Hellend* ( ad imitationem Latinæ aspiratæ, *Halces*, ceu effert Petr. Gillius, Gallus Lib. VII. Hist. anim. cap. VII. ) recenset Gesnerus, cui ut & Helvetiis omnibus audit fera hæc *Elch*. Quæ ratio impositionis nominis Teutonici sit, non æquè constat. *Vel* enim respexerunt vocem bestię flebilem, ut vult B. Franzius in Histor. Anim. c. X. *Vocem edit, ut ipse ex animali audiui, ait Franzius, admodum flebilem & miserabilem adeò, ut si non conspiceretur, existimaretur esse infans. Et hinc invenit nomen & dicitur apud Germanos Elend/i. e. miserum. Vel* attenderunt statum naturæ miserum; nam fertur sæpius à morbo epileptico vexari, omnibusque orbari sensibus. *Vel* etiam ob timiditatem nimiam, quodque vel ex conspecto saltem sanguine proprio mortem oppetat, Teutones *Alcem miseram* dixerunt: vid. Apollonius Menabenus, Gesnerus, Aldrovandus. Conf. quoque infra fusiùs hæcce prosequenda. Gesnerus præterea annotat cervum ab Illyriis vocari *Gelen*/atque inde nomen ad Germanos translatum esse conjicit. Scitè ad hoc Alcis nomen alludit Adamus Olearius in itinerario Moscovitico-Perfico c. III. pag. 6. ubi



ubi quosdam ex Germaniâ in Livoniam concessisse persuasos, quòd præ nimia rerum & annonæ copiâ Alces spontaneam prædam aucupaturi essent, verùm dum vivendi rationis apud Livonos fuerant imperiti, non Alces sed (*Elend*) miseriam captâsse refert. Quod autem antè ex Gesnero adduximus, pro synonymo Alcis haberi etiam apud Helvetios animal istud *Elch*/id in dubium vocat Julius Cæsar Scaliger, asserens per *Elch* Svizeris notari animal quoddam cervi facie, collo, cornibus, unguâ, cui præterea sunt in armis jubæ, coxendices hirtissimæ, villi raicores ad palearia; adeoque bifonti Pliniano haut absimile. *Elk* tamen feram aliam ab *Elg*, Alcem indigitare concedit. Exercit. Exoter. contra Cardanum CCVI. Sed viderit Scaliger, quomodo cum Gesnero, qui & ipse est Svizerus s. Helvetius rem amicè transigat.

§. II. A Curonis nostris & Livonis lingvâ propriâ, quâ in istis regionibus utuntur homines plebeji, ac ruri degentes, salutatur Alces *Brehdis*, quod vocabulum sonat *robustum, pingve, procerum*, neque eo incommodè videtur animal exprimi posse. Idem volunt Galli appellatione suâ, efferunt enim Alcem per *la grande beste*, sic Scoti etiam eam insigniunt suo *great beast*. Nec non Itali cum Curonis in cognominarione feræ, quam vocant *magno animali*, proceritatis rationem habentes conspirant. Unde D. Wolfgang.

gang. Gabelchoverus titulum libelli à se in latinum sermonem conversi, quem primùm Italico idiomate conscripsit Andreas Baccius, Med. & Philos. Romanus, facit: *De Magnâ Bestiâ à nonnullis Alce, Germanis Ellend appellatâ ejusque occultis proprietatibus Epilepsiæ resistantibus.* Est tractatus paucissimis pagellis constans, editus jam superioris seculi ann. 98. indeque visu rarior, quem liberali manu nobiscum communicavit Vir Celeberrimus, Dn. D. WOLFGANG. WEDELIUS, Patronus noster summè colendus.

§. 12 Ab Italis ad Norvagos & Lappones transfimus. Hi ut & universi Septentrionis Incolæ: (Danis tamen Alcen *Elldieur* appellari vult Ol. Wormius in Museo suo) Sveci, Finnonnes, Lappones &c nomen Alcis circumferunt non *Ranger* nec *Rehen*, ut falsò sibi persuasit J. C. Scaliger Exercit. cit. p. m. 661, sed *alg*, *etg* vel *elgar*. Ita enim Olaus Magnus, Gothus, Lib. XVIII. cap. I. *Alces sunt ab Aquilone, ubi vulgariter Elg vel Elgar appellantur.* Prout à Johanne Scheffero in descript. Lapon. cap. XXIX. citatur, licèt in editione Epitom. Lugdunensi Batavâ tale quid non reperiatur. Confirmat Olai asserta idem Schefferus l. c. proprio calculo, inquiens: *Illud scio certo certius Norvagos alcem & quam Germani Ellend vocant nunquam appellasse Rehen, sed alg, estque hæc earum hodièque appellatio communis*

*munis per Septentrionem omnem.* Polonis au-  
dit Alces *Pouvod*, ceu ex indigenâ quodam se ac-  
cepisse testatur Gesnerus loc. sæpius dicto. Illy-  
ricè ac Lithuanicè sonat fera *Łoß* vid. suppl. va-  
riar appellat. Ul. Aldrovandi ad fin. lib. I. de Qua-  
drup. biful. Moscovitæ nominant illam *Lozzi*; in  
quam rem denuò audiamus Schefferum l. d. *Ne-  
que aliter*, ait, *sentiendum de Moscovitarum  
Lozzi, quippe quæ sit eadem cum Łoß Lithua-  
norum.* Heberstenius: *Quæ fera Lithuanis suâ  
lingvâ Łoß est, eam Germani Ellend / quidam  
latine Alcen vocant.*

§ 13. Hactenus de nomine & variis apud varias  
gentes Alcis nostræ appellationibus satis nos dixis-  
se opinamur. Quodsi alicui justo prolixiores vi-  
deremur, is sciat nos hæc pingviori stylo prose-  
cutos esse in gratiam Lectoris, quò veritas ali-  
quantùm conciliaretur effato Platonico: *ὅς ἂν τὰ  
ὀνόματα εἰδῆ, εἴσεται ἢ τὰ πράγματα.* ex §. 1.  
Cæterùm, quas vulgò onomatologiae jungere  
solent, homonymia (præter ista, quæ ex præce-  
dentibus patescere possunt) & synonymia in Alce  
locum non inveniunt; nisi quædam pro synony-  
mis, at falsò venditata hûc referre volueris: de qui-  
bus tamen afferenda infimo commodiùs reserva-  
mus loco, ubi priùs de naturâ feræ penitus con-  
stiterit. Nos igitur Alcis naturam delineaturi pe-  
nicillo paulò tersiori, methodo arbitrariæ insisti-

mus (nam hujusmodi diascepses non videntur aptè uni semper adstringi ordini) atque universam dicendorum materiam in externorum & internorum considerationem dispescimus. Illorum nomine nobis veniunt ea omnia, quæ exterius partim animal, partim oculos spectatorum afficiunt, ut locus natalis, partes tum in coordinatione suâ spectatæ, ut statura & ratio ad feras alias, tum singulæ atque divisim acceptæ: caput, pectus, armi, pedes &c. Internorum verò numerum pro placito nostro absolvent affectiones quædam animali huic propriæ, constitutionem maximè internam respicientes.

§. 14. Locum natalem feræ nostræ plerique septentrionalem mundi plagam assignant, modò quòd alii aliter eandem exprimant. Plinius indifferenter Septentrionem, hujusque socius Solinus, nec non Joh. Jonstonius Scandinaviam & Gangaviam vocant. Pausanias τὴν τῶν Κελτῶν γῆν dicit, quam Romulus Amasæus vertit terram Galliam. J. Cæsar in Hercyniâ sylvâ habitationem alcibus metatur, quem sequuntur Vincentius Belluacensis Hist. Nat. Lib. XIX. cap II. & Andreas Baccius, Italus, tractatu de magnâ bestiâ pag. 3. Albertus M. eas reperiri asserit maximo numero in sylvis Prusis, Ungariæ & Illyriæ. Singulorum verba paucis recitabimus. C. Plinius Lib. VIII. Hist. Nat. cap. XV. *Septentrio fert & equorum greges ferorum, sicut asinorum Asia & Africa, prætereà*  
al-

*alces.* Julius Solinus Polyhist. cap. XXXIII. *Scandinavia Insula è regione Germania mittit animal, quale alces.* Joh. Jonstonius Thaumatochr. Natural. Class. VII. de Quadruped. cap. I. *Alce fera in Scandinaviâ quadrupes est.* Pausanias, Græcus (qui floruit seculo P. N. C. II. temporibus Imperatoris Antonini, cognomento Philosophi ac imperii tum socii, ut loquitur Sleidanus Lib. II. de IV. summ. Imper. p. m. 140, L. Aurelii Veri) in Eliac. prior. f. Lib. V. descript. Græc. ἄλκας τὸ ἐν κελτικῇ Γαλιῶν. *Alces animal istud in regione Celticâ, vel ut reddit interpretes Rom. Amas. terrâ Galliâ.* J. Cæsar, in Comment. Lib. VI. de bello Gallico: *Sunt idem in Hercyniâ Sylvâ, quæ appellantur alces.* Albertus M. Lib. Histor. Animal. II. *Magnus horum animalium (alcium) numerus est in sylvis Prussia, Ungaria & Illyria.*

§. 15. Plinius, qui in Septentrione Alces nutriri contendit, non quidem à veritate abludit, nisi quòd loca Septentrionis determinare debuisset. Si quidem constat ad Septentrionem referri regiones plurimas, & si ex sententiâ Geographorum loqui velimus, integræ Zonæ, temperata & frigida, eæque non modo Hemisphærii nostri, verùm etiam nostro oppositi hûc spectant. In his autem paucissimæ sunt portiunculæ, quæ Alcibus nostris incunabula præbent. Deinde dum Plinius Septentrionis mentionem facit, ecquis ab eo borealiores in-

imprimis partes intellectas ambigeret? Videtur enim innuere velle ob frigiditatem locorum septentrionalium animal sibi sedem inibi fixisse. At verò tantum abest, ut hæc experientia respondeant, ut potius compertum sit, eò minorem dari Alcium copiam, quò magis ad Septentrionem possumus deflectamus Arcticum, adeò, ut intra circulum Arcticum ferè, h. e. in medio & fide Zonæ frigidaë prorsus has feras nec conspici verisimile sit. De Lapponiâ sitâ circa principium circuli polaris, seu sub elevatione 66, 67. grad. certi sumus, nonnisi & rarius & pauciores inque australi regionis quidem parte, tantum adesse Alces. Cujus rei testem locupletissimum juxtâ ac fide dignissimum afferimus Joh. Schefferum, Professore Upsaliensem Regium, in novâ Lapponiæ historiâ cap. XXIX. p. m. 337. *Has Alces inquit, parvo numero Lapponia nutrit, magis aliunde accipit præcipuè ex Lithuania, accipit tamen, unde per edictum publicum Carolus IX. (Rex Sveciæ) pelles earum, si quæ occiduntur à Lapponibus fisco suo addixit, uti loco alio monstratum est; Olaus Petri sic de alce: Alces in Laplandiæ australi duntaxat parte versantur & capiuntur maximâ ex parte eò vel Lapporum insectatione vel rusticorum veneratione adacti. In ceteris sunt vel rarissimè vel nunquam. Ex Careliâ (Ducatu Russiæ albæ seu Moscoviæ, incolis Corella dicto, estque nunc por-*

portio regni Svecici) tamen certum est Alces bis  
in anno in maximâ copiâ per fluvium Nivæ  
transire. Vere scilicet catervatim in Careliam  
tendunt & autumno rursus remeant in Rus-  
siam. (NB. Careliam Olaus Petri fortè Sveciæ  
jungit ob dominium Svecorum, cui paret Care-  
lia, verùm Geographis aliis rectiùs finibus adhuc  
Russiæ includitur.) Addimus hic Olaus Magnum  
domesticum item testem ex Breviar. Historiæ  
Septentr. Lib. XI. cap. XXIX. Onagrorum siue  
alcium vehementissimus etiam cursus in nivosa  
glacie est apud Sveones, Septentrionales maximè  
ultra regiam Holmensem versùs superiores par-  
tes Aquilonis. Inferiùs vero ad plagam Me-  
ridionalem etsi in magnâ multitudine vasto-  
rum nemorum sunt, ob Regium tamen edictum  
in usu non habentur. Unde colligere facile est,  
quòd Alce nostra non ferre queat intensum fri-  
gus, frigoris interim remissioris, aliàs enim in lo-  
cis calidioribus subsisteret, patiens sit.

§. 16. Quemadmodum autem Plinius terminos  
habitationis feræ nomine Septentrionis plus justo  
dilatavit, sic è contrario reliqui post Plinium eos-  
dem nimium coarctant. Solinus simia Plinii (vide vi-  
tam Solini à Joh. Camerte descriptam) dicit Scandi-  
naviam, vel ut Interpres dicit. Camertes in vetustiori-  
bus exemplaribus legi animadvertit, Gangaviam a-  
nimal nostrum alere. Quæ igitur Scandinavia pars

D

Or-

Orbis sit, quive ejus limites, nōsse omninō nostrūm  
interest. Scandinavia quondam & Scandia,  
Plinio Lib. IV. cap. XIII. Hist. Nat. est Insula in-  
compertæ magnitudinis & clarissima inter eas, qui-  
bus Codanus Sinus refertus & olim 500. pagis ab  
Hillevionum gente habitari creditus est. Conf.  
Lib. hujus c. XVI. Cl. Salmasius in Exercitat. Plinia-  
nis in C. J. Solini Polyhist. ad cap. XX. vetera ex-  
cerpta Plinii & Solini hanc putatam Insulam,  
Candinaviā nominare tradit. Unde huc trans-  
fert Ptolomæi Σκάνδεραν, Pomponius Mela Lib.  
III. de orbis situ cap. de Hispaniæ & Septentrio-  
ois insulis, mentionem facit Codanonix insulæ ma-  
ximæ & foecundissimæ inter septem Hemodes ad  
sinum Codanum fitas. Ad quem locum Melæ  
Joachim. Vadianus sic in notis commentatur: *Cre-  
diderim eam esse, quam Scandiam vocat Pto-  
lomæus, Plinius Scandinaviā; hodie Selandia  
dicitur.* De limitibus autem, quibus Scandia cir-  
cumscribatur secundū Veteres, Geographi non  
conveniunt. Jacobus Zieglerus in suā Schondiā  
ex recensione Cl. Becmanni Histor. Orb. Terr.  
Geogr. & Civil. cap. VI. ad Scandiam refert Groen-  
landiam, Islandiam, Orcades, Lapponiam, Norve-  
giam, Svediam, Bothniam, Gothiam & Finlan-  
diam. Cluverius autem Lib. III. German. antiqv.  
cap. XXXVIII. terminis Scandinaviæ cingit Biar-  
miam, Lappiam, Finmarchiam, Bothniam, Sve-  
diam



diam & Norvegiam. Alii, reliquis regionibus missis, sub Scandinaviæ nomine modò Norvegiam & Sveciam (ab aliquibus additur Scandia, ut vult Pontanus in descriptione Scaniae) olim comprehensas esse asseverant, Conf. Introd. in Geograph. Phil. Cluver. Lib. III. cap. II. Quicquid tandem de eo sit, patet omninò (idque obiter notamus) Veteres falsos fuisse in hoc, quod terras Septentrionales pro Insulis promiscuè habuerint. Neque hi ab omni errore liberandi, qui soli Scandinaviæ cum Plinio & Solino Alces nostras mancipare velent, quoniam & plura alia loca de natalibus feræ sibi gratulantur.

§. 17. A Pausaniâ quoque abire necesse habemus, si standum à partibus interpretis, qui Celticam Pausaniæ, Galliam vertit. Licèt non ignoremus Gallos fines suos longissimè extendisse, vid. Cluver. Germ. antiq. Lib. I. cap. IX. attamen non assentiri possumus Pausaniæ hoc sensu solam Celticam Alcium nutricem deprædicanti. Si verò secundùm Gesnerum uno Celticæ nomine universam Germaniam & Septentrionales finitimas regiones intellexisse Pausanias dicendus est, neque tum nobis deerit, quod in Historico culpemus; siquidem eâ ratione multa venditarentur loca, in quibus Alces frustra quæsiveris. Ast quid de Hercyniâ sylvâ, quam Cæsar Alcium receptaculum constituit? Respond. Neque sic benè! Philip. Cluver.

Lib. III. Introd. Geogr. cap. V. narrat ab Hercyniâ totam olim Germaniam occupatam esse; at si hoc? non poterat de totâ sylvâ id affirmari, quod vix minima pars possidebat. Pergit Cluverius c. l. dicendo, nunc propriè venire Hercyniæ titulo illam, quæ est circa Bojohæmum, item Semanam, Gabretam, Lunam, Martianam s. Hartianam & tandem Cæsiam. Verùm si & hæc acceptio admittenda, non tamen mens Cæsaris indifferenter admitti potest. Neque in Gabretâ, nec in Hartianâ reperiri Alces testabuntur Thuringi nostri. Imo & de Semanâ, quòd feram hanc non prodat, certi sumus. Quid de reliquis judicemus non habemus, faciliùs interim negativæ quàm affirmativæ subscriberemus. Hoc equidem nulli negatum inus, potuisse temporibus Cæsaris sylvas ex memoratis aliquas, præsertim Semanam, utpote Septentrionaliore ab Alcibus habitari, licet nostro ævo id minùs comperiatur. Denique in sylvis Prussiæ juxta Alb. M. haberi has feras probatione vix eget, in limine differtationis enim Alcen Regiomonti, in civitate Borussæ Ducalis celebratissimâ, non sine admiratione spectatoribus se stitisse vidimus. De Hungariâ & Illyriâ s. Dalmatiâ nunc quidem parùm constat, utrùm Alcem prodant, an fecus. Cæterùm meritò iis locis, quæ animal nostrum ferunt, annumerantur regiones Borussæ boream versùs conterminæ, ut: Curonia,

Li.

Livonia, ubi maximus earum est numerus, Samogitia, Russia, Svecia, Dania & Finlandia atque ex parte Lapponia, quibus insuper addimus Poloniam & Silesiam: In his namque nemora vastissima, quibus Alces delectantur, ubivis obvia sunt.

§. 18. Haecenus quidem hemisphaerii nostri partes, Alcium genetrices, enarravimus: Sed nec desunt auctores pro hemisphaerio altero quoque facientes. Certè & Americam inque eâ novam Franziam & Brasiliam Alcium capturâ celebrari legimus. Ita Lucas de Lindâ in descriptione orbis Lib. XII. de moribus ferorum hominum in novâ Franzia: *Auctor, Escarbotus dictus, testatur illos lato omninò genio esse. Qui circa Quebecus degunt, à mense Septembri in Octobrem usque piscationibus anguillarum se pro more recepto exercent. Has anguillas in usum hyemis duratas servant. Anguillis consumptis, Alces aliasve venantur feras, in quarum penuriâ, aliquot dierum jejuni famelici esse solent. Similiter Simon Majolus, Episcopus Vulturariens. Dier. Canicul. Tom. I. Colloq. VII. introducit collocutorem Philosophum sciscitanti Equiti talia regerentem: si qui novum orbem perlustrârunt, tradunt & ibi Alcem esse, trifariamque illi divisas esse pedum ungulas, crinium loco habere gibbum seu ingens tuber carneum ab humeris ad frontem usque protensum, eoque quasi cornu in-*

ter vepres ac ramos uti, ut sibi viam paret, interdum quiescere, nocte errare. Joseph. Jesuita ex Brasiliâ Anno Domini 1560. Atque sic feris etiam hominibus feras has, Alces, utut à nostris, si Jesuitæ credimus, multum diversas, cohabitare constitit. De loco igitur natali Alcis hæc dixisse sufficiat.

§. 19. Accedimus nunc propius ad ipsam feram, cujus ut penitiorum impetremus notitiam, singulas partes à capite ad calcem in conspectum producemus; quibus conspectis, tantò facilius Alces à feris aliis in lectione Veterum discernetur ac de historicâ veritate judicium haberi poterit accuratius. In antecessum autem verbis Historicorum Veterum, quos de Alce literis aliqua tradidisse comperimus, descriptionem & figuræ & singularum instituemus partium, quò postea collatis inter se sententiis pateat, qui præ cæteris fidem mereantur, quive calculo nostro digni habendi sint. Primum itaque Pausaniæ hunc, ut verba faciat, honorem deferimus, qui de Alce sequentia in Eliac. prior. prodit: ἀλκαι μὲν γὰρ ἢ κέρατα ἐπὶ ταῖς ὀφρῦσιν ἔχουσιν οἱ ἀρρενες, τὸ δὲ θῆλυ εἰ φύει τὸ παράπαν. Οἱ δὲ -- ἢ τῆτο ἔλαφοι τε ἢ δορκάδες ὡσαύτως δὲ ἢ ἐλέφαντες πεπόνθασιν h. e. ut reddidit Romulus Amasæus: *Alce enim, qui mares, sunt (nam fœminis nulla omninò prodeunt) è superciliis cornua gerunt.* Hoc, sc; quòd cornua  
ad-

abjiciant, Cervis, capreis & item elephantis  
accidit.

§. 20. Inter Latinos, qui in commemorandâ  
Alce post Julium Cæsarem, C. Plinio feniore exti-  
terit prior reperimus neminem. Nec enim soli  
Remberto Dodonæo assentiri possumus conten-  
denti in epistolâ *de Alce* Julium Solinum ætate Pli-  
nium antecedere, unde & sua maximam partem  
hauserit Plinius. At in contrarium rectius senti-  
re animadvertimus Interpretem Solini Joh. Camer-  
tem Ordin. minoritani Theol. D. in vitâ Solini  
præfixâ Polyhistori. Plinius itaque Lib. VIII.  
Hist. Nat. cap. XV. hæc de Alce nobis reliquit:  
*Septentrio fert & equorum greges ferorum sicut  
Asinorum Asia & Africa; præterea Alcem, nî  
proceritas aurium & cervicis distinguat, jumen-  
to similem. Item notam in Scandinaviâ In-  
sulâ (NB. subjungimus reliqua, quòd multi & ista  
de Alce dici existiment) nec unquam visam in  
hoc orbe, multis tamen narratam, Machlin  
haud dissimilem illi, sed nullo suffraginum flexu;  
ideòque non cubantem (inde exemplar Toleta-  
num pro Machlin, Achlin & Chiffletianum codi-  
cem manuscriptum habere Aclin ex  $\alpha$  priv. &  
 $\kappa\lambda\iota\nu\omega$ , recitat Jacob. Dalechampius in editione suâ  
Plinianâ) sed acclivem arbori, eâque incisâ ad  
insidias, capi, aliàs velocitatis memorata. La-  
brum ei superius prægrande: ob id retrogradi-  
tur*

tur in pascendo, ne in priora tendens involvatur. Quibus sua procul dubio debet Jul. Solinus quæ habet Polyhistor. in fin. XXXII. & princ. XXXIII. cap. Est & Alces mulis comparanda adeò propenso labro superiore, ut nisi recedens in posteriora vestigia pasci nequeat. Scandinavia Insula è regione Germania mittit animal, quale Alces, sed cui suffragines ut Elephantis flecti nequeunt, propterea non cubat. Cum dormiendum est tamen, somnolentam arbor sustinet, quæ propè casura secatur, ut fera dum assuetis fulcimentis innititur, faciat ruinam, ita capitur, alioquin difficile est eam manu capi. Nam in illo rigore poplitum incomprehensibili fugâ pollet. Tandem ex Veteribus audire placet, qui vel primo nominandus fuisset loco, Julium Cæsarem ex Comment. Lib. VI. Sunt, ait ibi, item in Hercyniâ sylvâ, quæ appellantur Alces, harum est consimilis capris figura & varietas pellium sed magnitudine paulò antecedunt, mutilaque sunt cornibus & crura sine nodis articulisque habent, neque quietis causâ procumbunt: neque, si quo afflictæ casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. His sunt arbores pro cubilibus ad eas se applicant, atque ita paulum modò reclinata quietem capiunt, quarum ex vestigiis cum est animadversum ex venatoribus, quò se recipere consueverint, omnes eo loco aut

à radicibus subruunt, aut abscindunt arbores  
tantum, ut summa species earum stantium relin-  
quatur: Huc cum se consuetudine reclinaverint,  
infirmas arbores pondere affligunt atque una  
ipse concidunt.

§. 21. Profectò hæc tam dissona, tamque *ἀσύ-  
στατα* de Alce Veterum sunt dicta, quæque adhuc-  
dum Zoographi multi circumferunt prolixè, nec  
habent quod in defectu testium *αὐτοπτῶν* decer-  
nant; inde factum etiam opinamur, ut nec recen-  
tiores Scriptores in describendâ ferâ, dum unus  
Cæsari, alter Plinio, tertius Solino &c. propiùs  
accedere gestit, per omnia conveniant. Quis enim,  
quæso, est hic Scriptorum consensus? Pausanias Al-  
cem cervo dicit majorem, cum sit *τῆ ἐλάφῃ ἢ  
καμήλῃ εἶδος μεταξύ*; Solinus contra mulas ipsis  
cervis multò minores Alci affirmat comparan-  
das. Julius Cæsar facit animal capris (vel si ma-  
vis secundum Cl. Salmasium in exercit. Plinian. l. c.  
capreis) Plinius verò jumento h. e. (ut conjicit  
Andr. Baccius) asino ferè simile. Pausanias Alci  
cornua tribuit; Cæsar eam cornibus mutilam cla-  
mat. Plinius Alcen à Machli manifestè distin-  
guit, atque de hâc saltem refert poplitum rigo-  
rem; Solinus Pliniana confundens Machlin & Al-  
cen unam fatetur eandemque esse feram. Verbo: vix  
sibi ipsi quisquam è Zoologis hisce videtur consta-  
re. Nos proinde, qui antehâc etiam animal oculis ce-

E

pi-

pimus nostris, adjuto calculo insuper aliorum, ob  
*αὐτοψίαν*, testium fide dignorum, paucis quorum  
relationibus accedendum sit, exponemus singulas  
Alcis revivendi partes.

§. 22. *Corporis* igitur quod attinet *molem*, re-  
ctissimè juxta Pausaniam procera & excelsa ea es-  
se perhibetur. Excedunt Alces equorum majo-  
rum magnitudinem, aut minimum altissimis equis  
dixeris illam æqualem. Suffragatur totidem no-  
bis verbis Cl. Joh. Schefferus nunc temporis Upsa-  
liæ degens, cui non semel contigit, ceu refert ipse,  
ut Alcem coràm inspexerit, in descript. Lapp. l. f. c.  
*Quintantus in Norvegiâ observatus est, ut quis  
sub ventre stare valeret*, sunt verba Olai Wormii  
Medici & Prof. quondam Hafniensis in Muséo suo,  
c. XXIV. p. 337. ut adeò cervo & capreis Alces omni-  
nò major, camelo autem minor existat. Unde  
optimè eandem magnitudine mediam inter cer-  
vum & Camelum esse judicat Erasmus Stella, li-  
bello de orig. Boruffor. *Figura* animalis, si con-  
feratur cum feris aliis, nulla exacta intercedit in-  
ter Alcem & capream similitudo, multò minor  
inter hanc & mulum aut asinum. Capreæ sunt  
corpore macilentæ; Alces pingviores. Capreæ ut-  
plurimum flavo conspiciuntur colore, & varieta-  
te pellium gaudent; Alces verò coloris sunt tem-  
perati, subcinericii & propè glauci, quem hyeme  
ad ingredinem magis vergere autor est Joh. Jon-  
sto-



stonius l. f. c. Schefferus *cornu Alcis totum aequaliter vergere ait in obscurissimè flavum, cum cinericio permixtum*, Capreae denique cornuum figurâ ab Alcibus maximè distant, ceu ipsimet vidimus. Inter asinum, mulum & nostram feram tantò major est differentia, quantò vel ipsâ specie magis differunt. Asinus ex quadrupedum *μονόχων* vel *μονοχίλων* est numero; Alces contra ad ea, quæ his à Philosopho opponuntur Lib. II. Histor. Animal. cap. I. *διχίλα* spectat. Deinde mulus, cum Asino, est *ἀκέρατος* i. e. cornibus destituitur; Alces animal maximè est *κερατώδες*. Julius Cæsar igitur errorem, nescio an Cæfare dignum, commisit, dum Alces cornibus mutilas esse lectori persuadet. Cæterùm, si exceperis colorem, quo imbuatur pilus Alcis, verissimè cum Scaligero Exerc. 306. pronunciamus: *Alce nostra pilo (ferè) asinino est, nihil tamen asinini habens*. conf. Franzius hist. animal. c. X. Præterea nec dabitur facilè animal aliud, cum quo hoc nostrum apprimè conferri posset. Nam capite cervum, cornibus paulò mutatis ac facie, si ista & brutis tribuenda latiori; reliquâ corporis parte (exceptâ caudâ, quam exiguam Alces habet, ut & jubâ nec non ungulis bifidis) equum excelsum & robustiorem referre videtur. Ob istam, quam cum cervo & equo alit, affinitatem non adeo incommodè Alce Alberto Magno Equicervus audit Lib. XXII. Histor. Animal.

§. 23. Figura hujus feræ quò patefcat clariùs, de  
distinctis distinctè agemus. Ordinum à *Capite*,  
quod habet Alces oblongius, ore instructum iti-  
dem longiusculo, dentibus paucis & brevioribus,  
labris crassis & propendentibus, superiori tamen  
prolixiori, unde in Alcem optimè quadrant, quæ  
Plinius de Machli suâ memorat. Solino & Cæsare  
nobis consentientibus in pascendo retrogredi ne-  
cesse habet fera, ne impedimento sibi sentiat pro-  
pensum superius labrum. D. Franzius verò hist.  
anim. c. X. ob id Alcem in pascendo retrocedere  
judicat, ne si in priora tenderet & semper esset in-  
tentum pascuis, infidiis circumveniatur. Eadem  
affirmat Olaus Wormius, c. I. Labrum hoc supe-  
rius ob magnitudinem & prominentiam à Carda-  
no promuscidi comparatur Lib. X. de subtilitate.  
Addat. Apollonius Menabenus Tract. de Alce, un-  
de plurima in suum Musæum, iisdem etiam ver-  
bis, transcripsit Ol. Wormius. Add. Joh. Jonstonius  
Thaumatogr. Classe VII. cap. I. Frons Alcis lata  
est, duorum palmorum mensuram explens, prout  
existimat Albertus M. Lib. II. Hist. Anim. Auribus  
insuper ornatur animal prolongis atque latissimis,  
quas nec Plinius ignoravit, qui saltem procerita-  
tem aurium & cervicis obstare putat, quò minùs  
jumento sit similis. Collum capiti jungitur ad mo-  
dum cervorum, erectum, magis tamen villosum,  
ut imitetur jubam equorum, licèt & longitudine  
&

& densitate pilorum ab hac multum differat. Ulysses Aldrovandus Lib. de Quadruped. bifulcis cap. XXXII. ex Strabone sub mento Alcis conspici ait globum carnis ad palmæ magnitudinem capillosum, quem procul dubio Gesnerus in picturâ Alcis, statim in frontispicio Historiæ suæ appositâ, secutus est: addit enim ibi parti capitis ad collum proximæ, hujusmodi portiunculam carneam, figuræ quasi duorum globulorum. Nec absimilem fuisse delineationem feræ ad vivum, ut referunt, factam à Sebast. Münstero Hebr. Lingvæ Basil. Prof. ipsi Gesnero transmissam credimus; siquidem istam à suâ in paralipom. p.m. 1097. in nullo abiisse, nisi quòd jubata non fuerit, refert. Nos αὐτοψία edocti vel nulli prorsus, vel non omnibus Alcibus ejusmodi frustra carnis sub mento pendentis rectè tribui persuasum nobis habemus.

§. 24. *Cornua* in Alce fatis naturam arguunt cervinam. Nam quod de cervis confirmat Aristoteles Lib. II. de Histor. animal. cap. I. ἔχει σερεὸν μόνον ἔλαφος κέρως, id quoque in Alce nostrâ locum invenit, dum cornua gerit itidem solida imò cervinis solidiora, præter morem aliorum quadrupedum, quorum cornibus cavitatem inclusam conspiciamus, ceu in bovino, caprino &c. Nec obstat nobis, neque sibi officit, Aristoteles soli cervo hujusmodi cornua solida tribuendo; Græciæ siquidem Alcem fuisse ignotam facilè damus. Et quæ Phi-

Philosophus I. c. de cervis subdit: ἀποβάλλει δὲ τὰ  
κέρατα μόνον ἔλαφος κατ' ἔτος, ἀρξάμενος ἀπὸ  
διετῆς ἢ πάλιν φύει, add. Lib. IX de Histor.  
Animal. c. V. ea similiter in ferâ nostrâ ita se ha-  
bent. Alcibus enim quotannis cornua decidunt,  
aliis succrescentibus. Recens nata molli quâdam  
lanugine obduci testatur Olaus Wormius l. f. c. In  
majorem fidem adiciemus Apoll. Menabeni, qui  
aliquot in oris Septentrionalibus consumsit annos,  
ex Tract. de magno Animali ab Aldrovando re-  
petita verba: *Cornu mutat hoc animal statu-  
tis quibusdam temporibus, ut cervi solent. U-  
num aliquamdiu fuit apud me hujus animalis  
cornu, quod ut matura poma solent, spontè deci-  
derat. Id stirpe manifestè dignoscitur: duo alia  
parva habeo duorum aut trium ab ortu ferè  
mensium, quæ me præsentè ex cranio animalis  
paulò antè mortui abscissa sunt, & hæc molli  
quâdam lanugine sanguine etiam imbuta erant,  
unde cum ipsum animal, unde pullulârant ad  
metam suæ magnitudinis pervenisset & tam  
parva haberent cornua, statui sine controversiâ  
potest ab hoc animalis genere, ut dictum est, etiam  
cornua mutari, ut de cervis scriptis reliquit A-  
ristoteles. Quærenti autem cur Alces cornua sin-  
gulis amittat annis, quod tamen alia bruta facere  
non advertimus? Respondebimus fortè haud in-  
congruè quæ Philosophus de cervis annotat Lib.  
III.*

III. de partibus anim. cap. II. τῆς ὠφελείας ἕνεκα  
ἢ ἔξ ἀνάγκης διὰ τὸ βάρους. Quemadmodum  
denique inter cervos soli mares præfidio cornuum  
pollent, (vid. Philos. c. I.) fæmellæ autem eodem  
destituuntur: Ita & se res habet cum Alcibus. Un-  
de è veteribus rectissimè Pausanias in Eliac. prior.  
ἄλλα μὲν γὰρ ἢ κέρατα ἐπὶ ταῖς ὀφρῦσιν ἔχουσιν  
οἱ ἀρρενες, τὸ δὲ θῆλυ ἔφυει. Annuit ei Ludovi-  
cus Cœl. Rhodiginus Lib. XIII. Læctio. antiqv.  
cap. XVIII. *Alcis, inquit, utique in superciliis  
adnascuntur cornua, sed maribus modò, nam  
fæmina prorsum eo carent adjuvento.*

§. 25. Differt tamen Alces cornibus suis à cer-  
vinis, si spectes formam exteriorem. Hæc enim  
paucioribus plerumque constare ramis advertun-  
tur, nec observatum hæctenus percepimus, quòd  
pro numero annorum ipsi cornuum in Alcibus ra-  
mi augeantur, quemadmodum cervis binis cor-  
nua simplicia & erecta trimis bifida, quadrimis  
trifida exire & sic porrò usque ad annum ætatis  
sextum docet Aristoteles Lib. IX. de Histor.  
Animal. c. V. Cornu cervi itaqve ad summum  
quinque ornabitur ramis. (de sylvestribus Philoso-  
pho fortè sermo fuit, nam cervos, qui domi alun-  
tur, multò plures emittunt ramos. Hic in arce  
Ducali Jenensi asservatur cornu cervinum 28 ra-  
mis munitum, sublatumqve hoc cornu esse è cervo  
trimo affirmat Excellentiss. Dn. D. FASCHIUS

no-

noſter, Anatomicus celeberr. ſibi perſvadens cervum  
quemlibet pro ſaginatione pingviori modò plu-  
res, modò pauciores edere cornuum ramuſculos,  
prout in arce Vinarienſi Ducali quondam ſe edo-  
ctum recenſet ) De Cornu Alcis Geſnerus in  
teſtimonium adducto Sebaſtiano Münſtero, tradit  
multis ramis aculeatis ſ. mucronibus id conſtare.  
Cæterùm latiora etiã multò ſunt cornibus cer-  
vinis, utut breviora; duorum palmorum ferè lati-  
tudinem communiter excedunt, longitudinem autẽ  
duorum pedum vix æqvant. Apollonium Menabe-  
num denuò judicem advocabimus, Qui ſic l. c. *Femi-  
neus ſexus cornibus caret, at masculinum genus  
multifida, & ut ita dicam, ramosa cornua pro-  
ducit, ſed non tam longa & frondosa ut cervi  
vulgaris, cæterùm lata vel ut dicit Scaliger la-  
tiuscula ſunt. Crassitie duorum ferè digitorum  
transverſorum, ſi unius cornu figuram ſpectes,  
triangularem ferè formam deprehendes & ma-  
gnæ avis alam extenſam: ſi pondus, duodecim  
ferè librarum majorum erit. Pollicem Mena-  
beno ex aſſe premit Albertus M. Lib. II. Hiſtor.  
Animal. ſequentibus: Cornua ejus (Alcis) ſolida  
& ramosa ſunt, colore, quo cervi. Ab initio  
ubi enaſcuntur ad tres vel quatuor digitos ro-  
tunda ſunt, deinceps lata & tenuia aſſeris in-  
ſtar & circa finem multos educunt ramos. Fa-  
cit hæc latitudo, ut ſcabellis idonea ſint; pondus*  
COR-

*cornuum ingens.* D. Frantzius cornua Alcis etiam globulis, cochlearibus & fellis conficiendis apta vendidat Hist. Anim. c. X. Lata equidem ista cornua fat esse novimus, an verò ex iis scabella aut fellæ confectæ sint unquam ignoramus, quin confici potuisse dubitamus. Neque de pondere horum certi quid definiri posse credimus, cum ea modò graviora, modò leviora pro feræ ætate atque corporis mole comperiri verosimile sit. Ulysses Aldrovandus l. f. c. sibi missum esse cornu refert, quod septem tantum libras duodecim unciarum appendit.

§. 26. *Pellis*, quâ Alces nostra vestitur, pilos gerit subcinericios equinis quoad longitudinem æquales, densitate autem inæquales, densiores enim in equo conspiciuntur pili. Imprimis pellis ista crassitie suâ valde insignis est; Majorem vim arcet, quàm cervina, cui haut absimilis est. Materiam thoracis egregii suppeditat, cum non modò grandines ac imbres pellat, verùm etiam ictûs ferri facilè sine damno corporis, quod tegit, excipiat. Unde fit, ut moderno tempore milites primarii tam in iis, ubi nascitur Alce, quàm in aliis oris sibi hujusmodi præparatos thoraces magno pretio coëmant. Cedit insuper pellis animalis nostri in usum balteorum & cingulorum, quibus è humeris non minus, quàm è femoribus machæræ suspenduntur; Quales baltei planè interitum nesciunt, ut ad nepotes & qui pascuntur ab illis transmitti possint, ni-

fi vi aliquâ sponte eos diruperis. Ex Gesnero quædam huc apprimè facientia audire placet. Lib. de Quadrup. p. m. 3. hæc habet: *Alutarii pellem ejus ad thoraces priscium adipe, ad hunc usum alu- mini præferendo, præparant, ut imbres arceat. Veneunt singula, ut audio, tribus aut quator au- reis denariis. A cervinâ, cui similis est inspira- ta discernitur, fertur enim transmittere spiri- tum, ut ab oppositâ manu percipiatur, cum sit plena meatibus & pili in eâ concavi. Densa & so- lida est, adeò ut vehementes etiam ictus punctim casimque factos avertat & ferrei thoracis instar hodie expetatur.*

§. 27. *Caro* sub pelle feræ latens in Curoniâ & alibi locorum Septentrionalium instar bubulæ, à quâ sapore non multùm differt, inter edulia appor- tatur, incolisque adeò in suum cedit commodum & usum & esum. Assari tamen hanc ferinam non meminimus, coqui autem sæpius eandem adverti- mus. Et fieri potest, ut assata saporem gratum a- mittat. Quod experimento Olai Wormii patet, quem donavit frusto carnis ejus quondam Daniæ illustris Dominus Cancellarius Frisius, atque assam tam duram & infvavem deprehendit, ut eâ vesci haud potuerit. Animal etiam perpetuo cruore made- re, etsi dudum mactatum sit, experientiâ addidit. Vi- deatur Museum p. m. 337. Alii è comestione hujus car- nis spiritûs creari crassos ac melancholicos credunt.

§. 28. *Crura* Alci sunt robusta atque priora po- ste-



sterioribus quodammodo longiora. Simile de Ele-  
 phanto narrantem vide Aristotelem L. II. de Hist.  
 Anim cap. I. Ubi curam naturæ animadvertimus  
 singularem; Neque enim casu anteriora crura nasci  
 longiora putamus quinimò suspicamur ideò factum,  
 ut retrocessus (vid. §. 23.) in pascendo ob superius  
 prominens labrum sit expeditior, minusve molestus.  
 Hic Veterum notandi sunt fuci, quos uno quasi o-  
 re obtrudunt lectori: referunt crura Alcis sine no-  
 dis articulisque cohærere, nullamque suffragini-  
 bus inesse flexuram, sed perpetuum rigorem. Soli-  
 nus præterea fabulam fabulâ auget, dum Alcis cru-  
 ra adinstar Elephantis flecti non posse recitat. Un-  
 de Cl. Salmasius in Exercitat. Plinian. miratur hæc  
 Solinum ignorare, qui quotidie Elephantos vide-  
 rit. Et licet nullos vidisset Elephantes, ex historiis  
 tamen ei incognitum tale quid esse non poterat:  
 Aristoteles dudum ante Solinum de Elephanto te-  
 status: οὐδέχεται μὲν τὸ ἢ μὴ ἔχοντι καμπὴν τῶν  
 σκέλεος κινῆσθαι, ὡσπερ τὰ παιδία ἔρπυσσι. καὶ ὡς ἐ-  
 λεφάντων ὁ παλαιὸς ἦν λόγος τοῖσιν ὅτι ἀλη-  
 θῆς ὢν. *Contingit sanè crure inflexum non ha-  
 bente moveri, quemadmodum infantes reptant*  
*Ἐξ de Elephantis antiquus hujusmodi erat ser-  
 mo, haudquaquam verus. Lib. de incess. Animal.*  
*cap. X. & alibi: ὁ δὲ ἑλέφας, ὅτι ἔτως, ὡς λέγουσι*  
*τινες ἀλλὰ συνκαθίζει ἢ κάμπτοι τὰ σκέλη, i. e. E-*  
*lephas non, ut aliqui retulerunt, agit, sed consi-*

*olendo crura inflectit.* Lib. II. de Hist. Anim. cap. I. conf. Plinius Lib. VIII. Hist. Nat. c. VIII. Falsum itaque est & Elephantem & Alcen nostram crura non flectere. Ex eodem fonte, scil. rigore poplitum, originem duxisse istam febriculosam, ut cum Scaligero alicubi loquamur, de capturâ Alcis Solini & Cæsaris narratiunculam. Quis, quæso, bonis his viris vel ex Scandinaviâ vel Hercyniâ Sylvâ retulit pro capiendâ Alce arborem, cui accumbere con-  
suevisset, incidi. Ejusmodi venandi modum in Elephantibus Æthiopibus assolitum memorat Diodorus Siculus Lib. IV. de fabulosis antiquis gestis cap. III. Nam, dum & id animal articulis immotis constare crediderunt, arborem, cui Elephas dormiens inhærere fertur, succiderunt eò usque, ut ab animali inclinante impulsa caderet. De his quidem judicare nunc nostrum non est; (vid. interim Aristoteles Lib. IX. de Histor. Anim. cap. I. sub fin. qui longè aliam Elephantorum venationem docet) falsam tamen de Alce venandâ persuasionem veterum fuisse indubitanter asseveramus. In Curoniâ, Livoniâ & alibi certum est nec à pueris in dubium vocatur, Alces capi à venatoribus modo eo, quo solent feræ aliæ, imprimis Urfi, Lupi, Capreoli &c. scil. Venatores bombardis suis atque scelopetis instructi, canibus insuper adjuti regionem illam, in quâ commorari Alcem adverterunt, adeunt atque omnem navant operam, ut rima elabendi cuncta feræ  
præ-

præcludatur, quò tandem globulis (his & quidem plumbeis bombardas farciunt Venatores) transfodi queat facilius. Olaus Magnus tela aspera & sagittas latas ad venandas Alces in Sveciâ adhiberi recenset Hist. suæ Lib. XXIII. c. II. Optimè nobiscum facit Pausanias in Beoticis, quem dabimus postea; ut mirari subeat, quâ ratione Græcus veteriora Latinis recitare nobis valuerit.

§. 29. *Ungulas* Alces habet bifulcas ceu bos aut vacca, magis tamen acuminatas, præsertim quam anteriori alit loco. His unguis robur maximum inesse verosimile est, siquidem quod feræ cornigeræ aliæ in defensionem corporis sui cornibus efficiunt, id in unguis præsidium collocatum habere Alcem compertum est. Quoties cum canibus rem habet, unguis maximè infectantem tundit, fugatque. Lupos cum quibus sæpè in arenam (verius nunc dixerim in glaciem) descendere solet, unguis arceat atque ictu unico interimit. Testem adsciscamus Gothum, Olaus Magnum ex Lib XVIII. cap. II. epitom. Histor. Septentr. *Lupi, dicit, hyeme asperrimâ pressi fame eremi latebras vasto agmine circummeuntes expostulant prædam: lacubusque congelatis onagros inesse speculantur: in quos irruentes & unguis & cornibus vel interimuntur vel effugantur. Tanta enim vis est in ictu unguis, ut illicò tactum lupum interimat aut fodiat, quod sæpius in canibus robustissimis vena-*

tores experiuntur. Onagri s. Alces natura instinctu norunt apta certamini loca, scil. in lubricâ glacie, in quâ mucronatis unguis sunt solidiores, ubi lupi quasi in vaginis unguis retinent viribus vacuatas. C. Gesnerus l. c. etiam aliter Alcen insultum hostis propellere narrat, prout à peregrino quodam accepit: feram à venatoribus agitatam ad aquas confugere atque in iis stantem aquam ore haustam in canes fervidam eructare. Ungulæ Alcis nostræ colore nigro tinctæ usum etiam promunt eximium in subministrandis armillis & torquibus virginum, quos auro, plurimum tamen margaritis infertis ornamenti haud vulgaris loco gestant. Aliquam in externâ specie cum unguis bovinis alunt communitatem, unde D. Franzius has pro illis à mercatoribus auri fame laborantibus vendi quandoque putat: ast ut verissimè addit, odore dignoscuntur; Bovinas enim si paulum cultello raseris, fætorem persentisces, ex Alcinis non item.

§. 30. Ex his quæ hucusque in delineandâ Alce à capite ad unguis s. calcem perveniendo deprompsimus, non de fore nobis promittimus, unde quisque genuinam in exterioribus partibus feræ figuram animo plenè concipere queat. Cui tamen conceptui magis facilitando suggestimus in frontispicio opellæ præsentis figuram animalis æri incisam, quam Ulysses Aldrovandus sibi ad vivum

vum factam à Ferdinando Magno Hetruriæ Duce communicatam fatetur. Inseruimus eidem frontispicio cornu aliquod Alcis separatum, cujus figuram referunt cornua ista duo, quæ aliquando Lipsiæ sex imperialibus coëmpta sibi servat antè laudatus DN. D. FASCHIUS. Unde nec dubium alicui esse potest, quòd ea figura Aldrovandinae maximè sit præferenda. Singulis nunc pensitatis sine negotio error à Veteribus sæpius commissus, quantumque hi à veritatis deviarint tramite, adverti poterit. Malè enim hactenus à multis cum Alce nostrâ feras quasvis alias, diversissimas commutatas invenimus: Ita citra veritatem historicam Jul. C. Scaliger tres feras distinctissimas, Alcem, Rangiferum & Machlin pro unâ eâdemque habet. Aliud profectò animal est Rangifer, quem *Reiner*, *Kenthier* / dicimus, quique & loco natali, siquidem in parte Regni Svecici borealiori saltem reperitur, tum corporis mole (minor est quovis cervo) tam cornibus, pelle, unguis ab Alce maximè differt, adeò ut Cl. Schefferus in descript. Lapp. optimè contestetur: *Qui vidit animal utramque, quod mihi contigit non semel, tantam intelligit diversitatem, ut sit mirum, posse quanquam habere pro eodem.* Proinde non sine merito miramur Olaum Magnum, Episcopum Upsal. multa, quæ Rangifero propria sunt, in Alcem transferre. Narrat Alces tantæ esse

se celeritatis ut triplo longius iter, quàm equus eme-  
tiatur, indeque instar equorum partim ad equitan-  
tum, partim ad vehendas trahas in Sveciâ adhibe-  
ri. Eadem post tradiderunt alii decepti testimo-  
nio Olai, ceu domestici testis. Alcem pro ra-  
tione cervorum celeri cursu pollere non negamus:  
at sic eam cicurari, ut jumentorum vice fungatur,  
à nostris nec audivimus nec vidimus unquam; ve-  
ra tamen ista sunt de Rangifero. Non magis idem  
Olaus M. pro Alce promiscuè Onagrum s. Asinum  
sylvestrem, quem non alit Svecia, sed Asia & Afri-  
ca (vid. Erasmi Stella de Orig. Boruff.) substituens  
excusationem meretur. Qualis fera sit Machlis  
patet ex Lib. VIII. c. XV. Plinii, minimè cum Alce  
conferenda. Alii Tarandum cum Alce confun-  
dunt; at pessimè, vide Ælianum Histor. Animal.  
Lib. II. cap. XVI. Est adhuc alia fera, quæ  
nomine suo quidem proximè ad nostram Alcen  
accedit & dicitur Alcida: Ast præter nomen nihil ha-  
bet cum Alce commune; est enim aliquod fictiti-  
um atque in paganorum fortè cerebro enatum a-  
nimal, de quo consule Diodor. Siculum Lib. IV.  
de fabulosis antiquorum gestis cap. II.

§. 31. Nos missis nunc aliis ad ulteriorem inte-  
riorum affectionum (sic eas nominare libuit) con-  
siderationem properamus. Quæ affectiones in  
Alce maximam partem ita sunt comparatæ, ut ex  
conspecto animali nec semper nec statim advertan-  
tur,

tur, verum iteratis crebro experimentis ac sæpius institutis observationibus addiscantur. Nos iis destituti fidem non nostram, sed aliorum potius interponemus. Cuncta autem aliquot positionibus commodè absolvi posse arbitramur. Esto igitur positio

I. *Alce fera, utut robustissima & fortissima* (fortitudinem h. l. nobis non venire eo, quo modo opponitur timiditati in Ethicis, quilibet videt) *valde tamen meticulosa celebratur.* Hujus metus signum inde patescit satis, quod non modò hominem vel saltem conspectum fugiat, sed & canibus insequentibus terga vertat, quos dum & viribus & magnitudine nimum antecedit, attamen sæpius deprehensa est fugâ sibi consulere maluisse. Lupos cum sibi insidiantes cernit, eodem salutem quærit medio, nisi hos in loco opportuno, puta lubricâ in glacie, cui unguis inhæret firmius, offendat. Apertè prodit insuper hæc fera timiditatem à naturâ sibi insitam, quod rarò solitaria oberret, verum commilitio aliarum se jungat, ut uno quasi agmine hosti ingruenti resistere valeant melius. Unde quoque Alce inter animalia ea, quæ gregaria dicuntur, meritò locum obtinet. Alii quidem hinc, quod cætervatim plurimum incedere videantur, colligunt falax esse idem animal pro more cervorum: vide Arist. Lib. VI. de Histor. Anim. cap. XXIX. atque stimulo hoc pulsum cohabitare sibi mutuò. At si

solo verno vel brumali, quo libidinem expleant, tempore stipatae aliorum sodalitia cernerentur, tum ratio allata obtinere pro falacitate ferae quid posset, nunc autem cum semper id obtingat, minus. Denique nimiam in Alce timiditatem arguit subitanea ista ex conspecto sanguine proprio orta consternatio, (ut perhibent) quae plerumque & mortis inopinatae causa esse solet. *Verè miserū* inquit Conradus Gesnerus, l. f. c. *est animal, nam capta vel modico vulnere laesa expirat statim, praetimiditate nimirum.* Et Apollonius Menabenus: *Miseria etiam huius animalis causas referunt, quia est timidum valde, & homines procul olfaciens fugit, & quolibet vel parvo vulnere moritur, quinimo si tantum suum sanguinem videt, illico exanime concidit. Cum insuper jam propè captum teneatur, non reluctatur, sed fugam tantum meditatur.*

§. 32. Cumque adeo timida sit fera, non sine causa per naturam sagacitate insigni donata creditur. Est enim II. *Animal sagacissimum.* Homines longissime distantes olfactu percipit, & fugam meditatur; unde captu difficile fertur, quia non facile propter astutiam, quam pollet, circumveniri potest. Sagacitati Alcium videtur & hoc deberi, quod artificio egregio vestigia in sylvis nive tectis celare norint: Altera alteram praecedit, ita ut sequens iisdem plane vestigiis insistat, sicque inscii

u-



unam Alcem prætergressam duntaxat suspicantur, nec numerus ferarum ex vestigiis cognosci licet. Olaus Wormius in Museo l. c. hoc & eximiae sagacitatis & prudentiæ *τεκμήριον* in Alcibus commemorat, dicit eas canum latratu audito secundâ aurâ fugere, ut scil. vestigia ipsorum à vento tegi ac deleri queant. Cæterùm eorum, quæ jam diximus, testem ex Græcis Pausaniam advocare lubet, quo simul anilis de arbore incisâ ad capiendam Alcem apologus egregiè confutabitur. Sic verò ille in Beoticis ore Interpretis: *Est etiam fera quam Alcen dicunt, belluarum hanc unam nequeunt homines aut investigare aut prævidere: sed alias indagantibus feras hanc non consultò sed fortuitò nanciscuntur. Presentit aliquin hominem olfactu ex longo intervallo ac statim in retrusos anfractûs & speluncas confugit. Venatores ubi campestres vel montanos saltûs ad stadia fermè millia in orbem continenti indagine cinxerint, ita, ut constantes in eo ambitu, quem quisque ceperit, locum obtineant. Feras omnes in medio comprehendunt & inter eas Alcen.*

§. 33. Quantacunq; tandem sit sagacitate Alces nostra, non tamen se à vexationibus cunctis liberare valet, quinimò III. *est multis ærumnis obnoxia.* Non enim homines modò, canes, lupos sibi adversantes experitur, sed etiam animalculum aliud mustelam quandoque in ipsis speluncis, ubi ab insidiis Vena-

torum & canum se tutam credit, hostem acerri-  
mum & lethiferum sentit. Qui hostis reliquis o-  
mnibus tantò est perniciosior illi, quantò minus  
suppetunt media insidias & præsertim morsum i-  
stius evitandi atque reprimendi. Ferunt mustelam  
se gutturi Alcis inopinatò ingerere, & sede in eo fixâ  
feræ sanguine exsucto delectari, cujus sanguinis co-  
piâ dum nimîâ ne quidem fatiatur, tandem interi-  
tum vitæ afferre. Singula Olao Magno auctore reci-  
tamus, cujus verba Epitome Hist. Sept. Lib. XVIII.  
cap. I. hæc sunt: *Quiescentes humi vel erecti stan-  
tes Onagri (i. Alces) maximi à minimâ quan-  
doque mustelâ guttur insidente mordetur, ut san-  
guine decurrente illicò deficiant morituri. Adeò  
insatiabilis est hac bestiola in cruore sugendo, ut  
vix similem suæ quantitatis habeat in omni-  
bus creaturis.* Licet interim & hoc malo salve-  
tur, infensissimum nihilominus hostem secum sub  
pectore gerit, affectum malignum, quo miserrimè  
singulis ferè diebus vexari perhibetur. Nam cum  
morbo comitiali s. epileptico conflictari eam a-  
junt perpetuò, ubi omnium sensuum stupor at-  
que totius corporis misera convulsio ei inferatur.  
(fides sit penes auctorem!) Hinc multi cum  
Conr. Gesnero Alci à Germanis nomen *Elend* in-  
ditum esse conjiciunt. Hieron. Cardanus Alcen  
imbecille animal vocat; rationem subjungit: *cum  
sit cordis frigidissimi ac cerebri non solum frigi-*

di, sed pituitâ redundantis. Lib. X. de subtilit.

§. 34. Verùm nec hîc feram omni destituit auxilio Natura, mater benigna, dum ei quoque isti hosti pellendo arma in unguis suggessit. Ultimò igitur & IV. *hinc Alce salutari posset animal Medicum.* Quoties à morbo comitiali s. Epilepsiâ infestatur, unguam, prout narratur, posterioris dextri pedis indit auriculæ sinistræ, quo factò ad pristinam valetudinem morboque levari feram contendunt. Ita Apollonius Menabenus, Conr. Gesnerus, Ulyss. Aldrovandus, Joh. Jonstonius, Olaus Wormius & alii. E quibus unicum adducimus C. Gesnerum è Lib. de Quadrup. *Sæpe, fateatur, audivimus quotidianum ei morbum comitiale ingruere, à quo non prius levetur quàm dexteri (si benè memini) posterioris pedis unguam auriculæ sinistræ immiserit.* Andreas Baccius Italus tam operosus in probandâ hâc Epilepsiæ curatione est, ut plurimas pagellas istâ compleat; rem ultrò citroque ventilat, variaque affert argumenta adversariorum contendentium vanam esse famam & de morbo Alcis infesto & de curâ ejusdem; neque apparet ratio, inquiunt, quî fera cessantibus omnibus vitalibus operationibus pedem movere, nedum unguam auri immittere possit. At respondet Baccius fieri neutiquam posse, ut omnium rerum integra ratio afferatur, sed quòd

majori ex parte effectibus & ei, quod videtur acquiescendum sit: Nec negandam dicit virtutem Epilepsiæ medendi in unguâ Alcis ob id, quòd ratio & causa ejus perfecta dari non possit, nam paria in naturâ, ut attractionem ferri in magnete, inque eo directionem ad plagam Septentrionalem &c. proflare, quarum ratio adhuc eruditissimos lateat. Præsertim autem urget Medicus Italus morborum latitudinem esse admittendam; Atque sic (ut ipse loquitur) latiori epilepsiæ nomine venire non tantum omnimodam actionum vitalium privationem, sed etiam stuporem quemvis, vertiginem, morbum attonitum, suffocationem uteri & alios cordis defectus magis quam affectus.

§. 35. Eandem vim & cornua & nervos & unguilas Alcis in curandis hysteris passionibus atque etiam morbis epilepticis hominum divinitus, ait Franzius, insitam habere, jam ob consensum omnium quotquot mentionem feræ in scriptis reliquerunt, adeò certum venditant, ut si quis hæc in dubium vocaret, veritati lucidissimæ caliginem offundere eum dicerent. Testantur aliqui, se cognovisse ramenta cornu Alcis multum epilepticis profuisse, si modò certo à ferâ decerpantur tempore, ut inter festum Assumptionis B. Mariæ & Nativitatis ejusdem, cum hisce diebus animalia hæc magis calida sint & vegeta & succulenta, ubi & maximè in venerem prouant. Nervi etiam, si

iis-

hisdem membra ab epilepsiâ vexata colligentur,  
magnum ægrotis contulisse levamen perhibent.  
Præ nervis tamen & cornibus ungulas Alcis ob  
virtutem insignem medendi commendant. Eaque  
de virtute unguulæ opinio tam altas in animis ho-  
minum radices egit, ut incolæ Septentrionis sibi  
persvasissimum habeant eum, qui annulo ex hac  
ungulâ confecto digitum (annularem autem ple-  
rumque vestire hujusmodi solent annulo, pro more  
antiquitus recepto, cujus causam reddit A. Gel-  
lius, Lib. X. Noct. Attic. Cap. X.) cinxerit,  
liberum ab epilepsiâ fore & spasmis. Quæ verò  
opinio an eventui responderit semper, aliis judi-  
candum relinquimus. Unicum promemus testem O-  
laum Wormium, Medicum Regium Hassniensem,  
qui in Muséo suo l. c. hæc habet: *Cornua insigni  
pollent adversus epilepsiam facultate, in primis  
si circa Calendas Septembris animal capiatur  
& mactetur, quia tum maximè vegetum &  
succulentum in venerem ferri solet. (Alces)  
Nervus circumligatus membro spasmus pa-  
tienti, paroxysmum tollit & porro ab hoc malo  
preservat. Ungues præ reliquis epilepsie efficaci-  
ter medentur, hysterica item passioni, cordis af-  
fectibus. Ex unguibus quidam dextrum, qui-  
dam sinistram pedum posteriorum commendant  
in hunc usum: alii omnes hac vi pollere, non  
sine ratione asserunt: ut quis ab his morbis hu-  
jus*

*ius unguis beneficio preseruetur, annulum ex eo  
confectum in annulari sinistra manus gestet aut  
particulam collo suspensam, ut cordis regionem  
tangat. In curatione in pulverem redigitur & cum  
aliis appropriatis exhibetur. Qui & h. l. rationes no-  
bis opponere vellent, hi ad Baccium denuo erunt  
remittendi, utpote qui argumentis adversariorum  
pro virili occurrere satagit. Nobis ea quæ pro-  
lixè ibidem agitantur hûc transcribere non libet,  
nec nunc, dum filum abrumpere cogimur, licet:  
Quapropter in calce Alcis medicâ calcem differ-  
tationis nostræ Zoologicæ sistimus, Creatori Opt.  
Max. & Omnip. in honorem episodium Da-  
vidicum ingeminantes:*

הָלָלוּ אֶת-יְהוָה הַחַיָּה וְכָל-בְּהֵמָה:

---

## SUPPLEMENTUM.

**F**orte contigit fortunâ L. E. ut, dum ultimam  
manum Typographus operi admoveret, nobis  
Magnif. Dn. D. CRAUSIUS, Nobiliff. Facult. Me-  
dicæ hîc SENIOR venerabilis aliqua de scripto quo-  
dam vetustiore similis, cum nostro, argumenti re-  
ferret non modò, sed & ejusdem benevolè co-  
piam faceret. Inscribitur scriptum istud *Histo-  
ria brevis de Alce*, auctore Severino Gœbelio,  
Boruffe; prodiit Venetiis anno superioris seculi  
XCV. Nos acceptam breviculam historiam avidè  
per-

perlegimus, cum crederemus fore, ut à Boruffo  
hoc, cui Alce incognita esse vix posset, plurima  
nostra vel confirmarentur uberius, vel suppleren-  
tur ulterius. Voto eventus ex asse respondit, un-  
de nec indignam relationem judicavimus, quæ  
huc quoad partem transcriberetur & nostris ad-  
jiceretur. Figuram Alcis, valde ab Aldrovan-  
dinâ differentem, quam ibidem affert, nos quoq;  
præmittimus. Eam non quidem ex observatio-  
ne propriâ, sed Parentis sui sibi relictâ descriptione  
adornatam esse narrat prædictus Auctor Goebelius.



H

Sei

*Sequitur brevis descriptio Alcis secundum partes, per Severinum Gæbelium, Severini F. Borussum.*

**A**lce vastum animal est adeo, ut plaga Septentrionalis vix habeat aliud eâ magnitudine, -- cæduntur quandoque, quorum altitudo sex Romanos & septem pedes complet. Caput magnum habet, quod quantitate, figurâ & colore mulino respondet, oblongius est cervino, minusque decoro aspectu. Nares patulæ sunt & amplæ. Addit D. D. Wigandus, se vidisse aliquem integros pugnos in foramina immisisse absque ullâ violentiâ. Audivi latitudinem narium continuisse uncias decem. (s. pedem Roman. demptis 2 unciis) Labrum superius crassius est inferiori propendens & inferius contegens. In inferioris mandibulæ parte anteriori octo sunt dentes ferè semicirculum ostendentes, qui ita acuti sunt, ut his Alces arborum cortices decerpere possint. Suprà nullos habent inferioribus antèriùs correspondentes. Mox post intervallum octo digitorum in superiori & interiori mandibulâ sex sunt molares duplicati, ut in bobus ad ruminationem citra dubium. Linguam bovis habet, palatum animalium ruminantium. Oris capacitas magna erat ejus, qui D. Patre meo spectante cæsus est, continebat uncias undecim sive pollices. Barbam habent mares

res



res quidam mox à mandibulâ dependentem, quandoque dodrantralem, ut cervi rostrum acuminatum. Corporis reliqua dispositio hæc est: Habet cervicem crassam, constrictiorem tamen cervo, validum quoque pectus, cum humeris amplum & robustum est, corpore robusto non valde longo. Contractiores sunt coxæ posticæ, ut pectoris pars antica promptius visui occurrat: Totum animalis corpus pilis tegitur cinericiis & subnigris, digitum ferè longis, crassis instar setæ porcinae, qui in inferiori parte canescunt, ut muscus arborum. Supremâ parte colli capilli tanquam jubæ prolixi per medium dorsum procurrunt. - - Habet genua flexuras, articulos, nodos in cruribus ut cervus. Plerique cruribus albescunt. Cæterùm non unus ac idem color est in omnibus, tergoribus non sunt discordes. Hæc ferè est forma & dispositio. De proportione ex peculiari observatione partium hoc additur. Ejus, qui Patre spectante cæsus est, pectoris latitudo habuit XXII uncias (s. pedes Roman. vel Rhinland. II ablatis 2 unciis) aurium longitudo XI. Earundem latitudo novem, à pectore ad genua erant etiam XXII uncia, capitis longitudo XXVI pollicum: Circa posteriora crura altitudo LXXII pollicum fuit, quæ sex pedes Romanos explent. Jam si trunco corporis colli & capitis altitudo adjiciatur, octenos pedes & cum cornibus novenos ferè superare videbatur.

Cornua in maribus duo sunt paulò post supercilia:  
foemellæ nulla gestant. In omnibus illa non sunt  
uniformia, sunt aut rotunda aut lata & quidem  
vel ramosa vel sine ramis. Rami cornuum palus  
appellari solent, quæ quò sunt latiores & grandio-  
res eò majori in precio sunt atque tanti fiunt, ut  
sint anathemata & ornamenta splendidorum pala-  
tiorum, candelabris multiplicibus affixis. Primis  
annis cornua rotunda nascuntur. Ex latioribus,  
quod præ manibus habuit D. Parens velut expan-  
sa manus figurata fuit, in quo quinque cuspides  
s. digiti erant, una quidem inferior versùs cranium  
aut radicem capitis instar pollicis latiùs à quatuor  
reliquis distabat. Ut autem rascetæ ad extremos  
digitos certa proportio est, ita præsens cornu  
XXII unciarum longum, ad duplicis palmæ alti-  
tudinem mensuratum suas cuspides ceu digitos  
annexas habebat, prior rotunda novem unciarum,  
reliquæ breviores erant. Ex altero Alce cornu  
erat longum XX unciarum, cuspidibus duntaxat  
quatuor ornatum, nec latitudo tanta inerat, quam-  
vis ad IX uncias accedebat. Ex tertio Alce cus-  
pides erant sex. - - Reperiuntur autem in atriis  
tàm Sereniss. Regis Poloniæ, quàm aliorum Prin-  
cipum grandia speciosaque cornua XVII & XVIII  
cuspidibus utrinque IX præmunita & quasi ex  
lata tabellâ assurgentibus. - - Certum est Alces  
cornua quotannis abjicere, ut observatum est ab  
iis,

iis, qui hujus armenti loca, in quibus illud frequens est, subinde perlustrarunt.

Ingenio est simplici ac stolido, sicut vidimus in cicurato pullo, qui stans ante foramen fornacis ignis calorem excipiebat usque dum exspiraret ab igne ambustus. Coire Alces observatum est sub finem Augusti, quo tempore ex densioribus sylvis in campos prodeunt patentes; cervi quidem venerem ingrediuntur, utpote dies XIV antè. Neque more cervorum prælia instituunt, aut dimicant de foeminâ, quod D. Parens meminit, sed singuli suam habent adjunctam sociam, sicut annis elapsis utriusque sexûs simul cædebantur. Pariunt tanquam Cervæ & Vaccæ unum vitulum, quem uberibus nutriunt. Pariendi tempus incidit in dies Paschatis sequentes. Hoc etiam observatum est, Alces geminam peperisse prolem, imo quoque ternam sed quàm rarissimè, quia non plures quàm duos vitulos vacca nutrire potest, cum singulis ubera bina, quæ habet vacca, quaterna debeantur. Matrem sequuntur vituli annos 2 vel 3, quam tanto amore complectuntur, & eâ trajectâ globulo bombardæ atque corruente fixis pedibus consistant, donec ipsi transfixi simul concidunt. - - Inculpatae sanitatis animal jure dici potest, & apparet meras nugas esse, quas commenti fuerunt aliqui de epilepsiâ hujus animalis. - - Non exspirat conspecto sanguine suo, sed ictus uno globo au-

fugit & vulnus curat. Ambulant & amant um-  
 brosa & uliginosa loca, congregantur ut cervi &  
 congregatim ad pascua procedunt. Latibula Al-  
 cis sunt sylvæ densæ, uliginosæque inter quercûs,  
 fagos, & præcipuè frequentes tremulas. In paten-  
 tibus sylvis haut conspicitur Alce, nec latos cam-  
 pos ingreditur. Carpit herbas virides Alce & de-  
 lectatur corticibus arborum imprimis tremulæ,  
 quandoque prodit ad salices. - Graminibus quo-  
 ties vescitur procumbit, genibus flexis ad terram  
 anterioribus. A graminibus ad arbores pervenit,  
 abrasurus cortices betulæ, tremulæ, salicisque.  
 Varia sunt venationis genera. Aut globulis tra-  
 jicitur plumbeis bombardæ ex insidiis, aut canum  
 ope retibus capitur, aut fossis aut quibusdam aliis  
 instrumentis. Venatores quando huic insidiantur,  
 ut bombardâ feriant, ventum observant, ne  
 odorem venatoris Alce percipiat.

H. I.

---

EΠΙΜΕΤΡΑ.

I. Rectene Alces inde, quòd viviparum animal est,  
 cornibus secundum naturam gaudere colliga-  
 tur? Aff. vid. Aristot. Lib. III. de partib. anim.  
 c. II.

II. Sed an & eadem fera ruminans verè præsuma-  
 tur ob cornuum præsidium? A. conf. Aristot.  
 Lib. II. de Histor. anim. c. I.

III.

III. An tutò ex conspectâ Alce vel hostilis irruptio,  
vel Obitus cujusdam Principis (ita paulò ante  
beatam analysin Serenissimi Ducis in Silesiâ  
Olsnensis, DN. SYLVII captam fuisse Alcen  
recenset B. M. Orthlobius in concion. funebri)  
conjici queat? D.

IV. Numquid eadem in Alce timiditatis causa,  
quam de cervis affert Aristoteles Lib. III. de  
partib. anim. c. IV. asserenda sit? A.

V. An Aristoteles justè à nonnullis vapulet ob  
confictum, ut ajunt, à se Oloris jamjam mori-  
turi cantum, Lib. IX. de Histor. anim. c. XII?  
Neg.

VI. An fides habenda sit C. Plinio, qui Lib. VIII.  
Hist. Nat. c. XXX, refert fibros periculo urgen-  
te & venatoribus insectantibus testiculos s. ca-  
storeum sibi ipsis amputare, quòd sentiant ob  
hoc se à venatoribus peti? N.

VII. Numquid idem sentiendum de eodem, dum  
cit. loc. Hyænis utramque esse naturam & alter-  
nis annis mares, alternis foeminas fieri, parere  
sine mare ex sententiâ vulgi recitat? Aff. juxta  
Aristotelem Lib. III. de generat. anim. c. VI.

VIII. Anne meritò inter ἀδοξὰ Pliniana & hoc mu-  
nerandum, quod de partu ursarum narrat: *Urso-  
rum coitus hyemis fit initio: nec vulgari qua-  
drupedum more, sed ambobus cubantibus com-  
plexis. Deinde secedunt in specus separatim,*  
in

- 9175 270
- in quibus pariunt 30 die, plurimum quinos.  
 Hi sunt candida informisque caro, paulò  
 muribus major, sine oculis, sine pilo, ungues  
 tantum prominent: hanc lambendo paula-  
 tim figurant. Lib. VIII. H.N. c. XXXVII: A.
- IX. An secundum Philipp. Theophrastum Bomba-  
 stum ab Hohenheim / aliàs Paracelsum, Lib.  
 Meteor. c. IV. Cobali domestici & virunculi isti  
 montani diversum aliquod hominum genus  
 constituent? Negam. cum Præceptore nostro ve-  
 nerando, Excellentiss. DN. POSNERO in  
 dissert. de Virunculis Metallicis habitâ ann. 1662.
- X. An Dæmones verè concumbere atque è suo  
 congressu fictitio prolem gignere posse dicendi  
 sint? D.

## FINIS.

τῷ εὐπαιδύτῳ

Κ. ΠΑΝΤΑΛΕΩΝΤΙ ΛΕΝΤΝΕΡΩ

φίλῳ με φιλτάτῳ,

μετὰ τῆ ἐπαινε πολλῆ διαλεξομένη,

εὐδαιμονέσασα!

Συζητῶν λογίως ἤδη κρατερᾶς φει "Αλκης

Σεῖο νόε ἀλκὴν σεμνολογῆς κρατερῆ.

Τόνδε πόνον προσερῶς τῆ μάλα εὐχομαι ἄθλον!

ἔτως ἢν σπέυδεις, πλείον ἔση κρατερός.

εὐφημίας εἶχε

f.  
PRÆSES.

\* \* \*

1077

Q. K. 355, 28.

DISSER

D

M. U

PANT



JE

1904/201



ZOOLOG

CE,

XXIII.

ANA

o, Curono,

do,

rt


Olav. Silesius,

O&obr.



Cornu Fera qvale sibi servat  
Excell. Dn. D. F. ASCHHIUS.

. Bauhofer.



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

